

DE
SVPPVRATIONE A VISCIERI-
BVS ARCENDA ET COHIBENDA

19

CONSENTIENTE ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE

AD DEMERENDOS

DOCTORIS MEDICI HONORES

D. VI. IVLII CIDIQCLXXXI.

PVBLICE DISSERET

JOHANNES DANIEL KVNTZE
LESNA - POLONYS,



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

APPARATIONE A VASCERI
DAS ARGENTV ET CORBENDV

CONSTITUTIO NIVSRI MEDICORVM ORDINE

AD PREMISSE

DECOTORIS MEDICI HONORIS


D ALIAVII CIVIDCCCLXXXI

PARVUS HEREBUS

JOHANNES DUNNER VAND

XVII - TERRITORIA

ANNO MDCCLXV
OMNIA SPONSORIA



PROOEMIVM.

Inter notatu dignissimos, qui dantur, virium aetiarum effectus, procul dubio suppurationi haud infimus locus concedendus est. Humores enim, quoties vi morbi, vel acrimonia, vel spissitudine, vel alia quacunque de caussa, adeo alienam contraxerunt indolem, ut nec solui, nec reliquis corporis fani humoribus assimilari possint, hac virium energia liquefiunt, et aut stimulo nociuo orbantur, ad naturalem blanditiem redacti, aut, si hac indui plane recusent, ex oecono-

A

mia

mia animali penitus proscribuntur. Omnia itaque, quae mole vasis molesta sunt, viscera functionibus remoras ne^{et}tunt, multiplice irritamento corporis integritatem turbant, suppuratione sapienter moderata, ut plurimum tolli et remoueri videmus. Quanta igitur suppurationis emolumenta sint in tumore inflammatorio, scirrho, cystico, nec non in gangraena arcenda, et, si externam aliquam partem occupauerit, persananda, nemo temere in dubium vocauerit. Qum vero suppuratio forte nulla cogitari possit, quin tela cellulosa vicina aliquam iuriari patiatur, cuius quoque participes fiant omnes solidae partes, nisi exitus puri mature concilietur; ipsaque materies purulenta a vasis lymphaticis resorbeatur, quae ad sanguinem delata ipsum naturali blanditie exuat, eumque latice lymphatico et seroso orbet; non potest non suppuratio in viscere quodam consistens summum aegri discrimen secum coniunctum habere. Namque viscera, quae pus in se recondunt, functiones admodum turbantur, penitusue tolluntur; idemque damnum illae quoque partes accipiunt, quae cum viscere laeso aut vicinitate qua-

im

A

quadam coniunctae sunt, aut quarum actio
illibata ab illius integritate pendet. Itaque,
prout viscus affectum maiorem minoremque
symbolam confert, ad vitae integritatem
conseruandam, eo maius minusque censem-
dum est discrimen, in quo aeger versatur;
quod observationibus quotidie obuiis facile
confirmatur. Suppurationem in cerebro na-
tam plerumque grauissimae huius partis lae-
siones excipiunt, adeo ut apoplexia ex im-
pruiso aegrum tollat. Idem illaetabile fa-
tum illos manet, in quorum pulmonibus pus
collectum insidet, siue subitanea morte e vi-
uis auocentur a pure subito spiritus vias prae-
cludente, siue lenta morte perimantur, dum
purulenta materies pulmonibus, eorumque
vasis vim infert, sanguinis exhalationes in-
flammabiles ex iis excerni non sinit, et pede-
tentim functionem illam pulmonum tollit,
sine qua homini nato viuere non datum est.
Non aeque cita, sed tamen certa morte illos
plerumque perire videmus, qui in aliquo
abdominis viscere pus conceperunt, cum
huius cauitatis humores inquilini natura sua
in putredinem facile vergunt. Sanguinis
enim circuitus in hoc cauo, praesertim in

systemate venae portarum, minus velocior,
 vel ideo illam culpam facile admittit, ut sani
 guis sese a variis humorum exhalationibus,
 quae digestionem subierunt, inquinari patia-
 tur. Quo accedit, ex vberiori phlogisti pro-
 ventu et secessu, calor sanguinis admodum
 au&tus, vnde eius dissolutio, ad putredinis
 naturam proxime accedens, maxime me-
 tuenda est. Tandem longe grauissimum pe-
 riculum, e viscerum abdominalium suppura-
 tione oriundum, in eo spectatur, quod pus,
 in his partibus collectum, exitum intra ca-
 uum abdominis molitur, ibique ascitem pui-
 rulentum gignit, qui nullo non tempore le-
 thalem morbi exitum portendit. Multum
 itaque nostra scire interest, qua methodo
 suppurationem viscerum arceamus immi-
 nentem, aut cohibeamus vix ortam; inque
 hoc eo maior cura nostra collocari debet, quo
 minus inter medicos de remediis certis con-
 stet, quorum beneficio humores et solida vi-
 na, a pure vitiata, ad pristinum sanitatis sta-
 tum reduci queant. Vanas enim antipylico-
 rum v. c. balsamicorum, etc. laudes esse,
 cum ex periculis Cel. virorum facile euinci-
 tur, tum in primis, nisi nos omnia fallunt,

.cilly

& A

lucu-

Iuculenter patebit, dum singulas suppuratio-
nem excitantes cauſas curatius rimaturi su-
mus. Verumtamen cum in tanta huius ar-
gumenti grauitate, tyronis, propria expe-
rientia deſtituti, ſententiam vix admissuri
ſint viri in arte periti, liceat nobis prouoca-
re ad doctrinam, qua imbuti ſumus, Prae-
ceptoris noſtri CAROLI AVGVSTI GVI-
LIELMI BERENDS, medicinae clinicae in
hac vniuersitate litteraria Professoris; qui
cum in familiari colloquio plurima nobiscum
communicauerit exempla, illustrationi huius
argumenti inferuentia, omni modo nebris co-
piam fecit, vt ad has plagulas conſribendas
animum appellere potuerimus. Huiuscē
viri institutione cum in primis uſus ſim, non
poſſum non ipſi, pro hoc in me collato bene-
ficio, maximas, quas poſſum, conferre gratias.

§. I.

Causae suppurationis remotae indagandae sunt.

Quaecunque cum humoribus, sanae vel morbosae indolis pericula a naturae scrutatoribus vñquam capta sunt, eo redeunt, vt eorundem qualitates sensibiles, et characterem distinctiū rectius aut minus recte nobis referant. Nemo autem mortalium ad nostrum aeuum vsque secretum naturae opificium reuelauit, cuius beneficio humores animales adeo discrepantis inter se naturae praeparentur. Ideoque omnes obseruationes physiologicas, in primis autem pathologicas, quibus genesin humorum secretorum cum naturalium, tum morbosorum, illustrare voluerunt viri clarissimi, maxima ex parte imperfectas esse oportet. Huius autem vitii, quod illas obseruationes maxime premit, minime immemores, iisdem tamen meritas laudes detrahere animus nobis non est, qui potius persuasi sumus, ex multitudine obseruationum saltem viam patere, qua ingredi fas sit, vt ad veritatis speciem quam proxime accedamus. Iisdem difficultatibus, quod vehementer dolemus, experimenta circa puris indolem instituta, quoque irretita sunt. In votis fuit, vt exinde puris elementa in humoribus dispersa intimeque recondita nobis paterent, simulque illa virium vitalium energia nobis comperta esset, qua, collectis vbiunque particulis ad puris genera-

tio-

7

tionem aptis, suppuratione rite absolvitur. Cuius rei
si nobis daretur facultas, facile leges generales dici
possent, iuxta quas suppuratione imminentia praecauen-
da, aut vix orta illico cohibenda sit. Celeberrimo-
rum autem virorum a), quae exstant, pericula, non
nisi partes constitutivas puris in lympha, sero, pin-
guedine, vel in uno alteroque horum humorum, vel
in pluribus simul, demonstrant, naturae caeterum
energia quam minime referata. Verumtamen cum
medici sit, certas sibi in medendis morbis formare
indicationes, minimeque ei liceat argumentationibus
meritis, experientiae testimonio destitutis, confidere,
et proxima suppurationis efficiensque caussa ad maxi-
me reconditas iure referri debeat, conandum est, ut
remotas caussas sollicite perscrutando, easque inter
se inuicem curiose distinguendo, eam lucem nobis
comparemus, quae et vel aliquo modo caussam pro-
ximam, et in primis therapeuticas indicationes illustret!

§. II.

Causae remotae extrinsecus corpus afficientes.

Huiusmodi sunt vis externa cavitatibus cor-
poris allata b), pressione, concussione, lapsu, con-
tusio-

a) vid. *de HAEN ratio medendi*, Tom. II. cap. 2. (p. 18. et seq.)
DANIEL *Systema aegritudinum*, Tom. I. p. 197. SCHROEDER
Diss. de paris absque praegressa inflammatio geneſi, Goetting. 1766.
HEWSON in auserlesenen Abhandl. f. pract. Aerzte, Tom. I. et IV.
EDWARD HOME über die Eigenschaften des Eiers in auserl. Ab-
handl. f. pract. Aerzte 12ter Band 4tes Stück, p. 653. et seq.
GRASSMEYER *Abhandlung vom Eier und den Mitteln ibu von*
allen ihm üblichen Feuchtigkeiten zu unterscheiden, Goetting. 1790.

b) vid. VAN SWIETEN *Commentaria in BOERHAAVE Aphorismi*,
Tom. I. §. 145. seq. §. 321. seq. §. 402. seq. et passim alias locis.

tūsione, Unde vel humores extrausantur, vel saltē
 partium solidarum viuārum energia magnopere alie-
 natur et debilitatur; ideoque ansa praebetur, ut cir-
 culatione sanguinis, corporis motu, animi affecti-
 bus, aut alio quocunque modo, accelerata, et con-
 gestionibus versus partem debilitatam excitatis, ana-
 stomosis, diapedesis, aut diaeresis facilime oriāntur.
 Hanc ob causam suppurationes in cavitate thoracis et
 in crānio haud raro oriri solent. Praeterea solis ath-
 mosphaerae vitiis haemorrhagiae, pulmonum inpri-
 mis, aut saltē extrausationes notabiles excitari
 possunt, aëre aut nimis attenuato, aut nimis graui,
 vel alienis particulis adeo inquinato, ut respirationi
 minus idoneus fiat. — Hic in genere suppurationis
 arceri poterit methodo antiphlogistica mature adhi-
 bita, sed sapienter moderata. Negari enim nequit,
 recentiorum quosdam, methodum antiphlogisticam,
 a SYDÉNHAMO, magno cum effectu forte in robu-
 stis corporibus adhibitam, vterius, quam par est, ex-
 tendisse, et partim nimia humorum attenuatione,
 partim solidorum compagis relaxatione vires vitales
 ita debilitasse, ut in grauiori casu gangraena, in mi-
 tiori vero morbo ipsa illa suppurationis quam arcere
 animus erat, infelici opera promoueretur. Indi-
 cantur igitur venaesectio, laxantia antiphlogistica,
 hirudines, cucurbitulae scarificatae, potus antiphlo-
 gisticus copiosus, nitro et oxymelle alteratus, infu-
 sum florū arnicæ et sambuci, lotiones in anum
 infusæ e speciebus emollientibus, nitro admisto, epi-
 themata frigida, aut tepida ad abdomen e spec. emol-
 lienti-

9

sientibus cum lacte coctis, vapores tepidi, epispistica, in primis vesicatoria, et in genere omnia, quae sanguinis impetum a parte affecta reuellere, deriuare, eiusdemque lentorem inflammatorium, vi febris natum, attenuare valent. In administrando vero hoc remediorum apparatu, partis affectae ratio potissimum habenda est, eaque seligenda prudenter sunt, quae parti laesae sunt amicissima. Itaque in concusione cerebri, praemissa venaesectione larga, et, si vtile visum fuerit, repetita, epithemata frigida praestantissimi usus sunt; in contusionibus pectoris autem fomentationes tepidae, et vesicatoria thoraci mature applicata, magis conferunt; epispistica vero in cerebri concusione potius admoueantur extremitatibus corporis. Pulmones enim, inuolucro mere ossis destituti, irritamento frigidae ferendo impares sunt. Nam praeterquam, quod spasmo a frigore excitato, extremi vasorum fines iniuriam aliquam patiantur, et sanguis in iis cogi forte possit, subsequente dein calore congestiones ad pulmones ianuam debilitatis auctiores fiunt; vnde malum quam maxime exasperetur necesse est. Omnes et singulas cautelas hic fusi exponere, consilii nostri non est, sed iudicio pratico peritorum medicorum id relinquendum esse censemus, vt ea seligant medicamenta, quae pro vario inflammationis gradu, et virium actiuarum indole, maxime votis responsura esse iudicantur.

§. III.

§. III.

Causae remotae internae.

Quemadmodum a vi externa sanguis in visceribus extrausatur et in pus mouetur, ita et haemorrhagiae a caussis internis vel anastomosi et diapedesi, aut diaeresi et diabrofisi exortae suppurationi cienda praeprimis pares sunt. Praeter acrimonias occultas varii generis, aliasque caussas, de quibus inferius fusior nobis sermo erit, animi affectus grauiores, possimum hic notari merentur. Maioribus enim congestionibus v. c. ab ira, versus encephalon et pulmones excitatis, sanguis inde quam facillime extrausatur. Ita et tristitia moerorque diu perseuerantes, digestionem, secretiones et excretiones remorando, atque humoribus dyscrasiam inferendo, procul dubio in viscere iamiam debilitato, haemorrhagias lentas, immo suppurationem excitat valent. Frequentissima haemorrhagiatarum, a caussis internis enatarum, exempla in pulmonibus exstant, ac plerumque phthisis purulenta haemoptysin excipit. Quo vero suppurationem imminentem penitus arceamus, haedendi methodum singulari febris naturae, haemorrhagias huius generis comitantis, exquisite accommodatam esse oportet. Sicuti enim iustum febris moderamen in quocunque morbo summi momenti est, in haemorrhagiis internis id eo religiosius obseruandum, quo maiori in discrimine, ob morbi ambiguitatem, aeger versatur. In toto haemorrhagiae decursu magnopere ab vsu frigidorum et adstring-

Stringentium cauendum est. Constrictis enim ex
improuiso vasorum omnis generis osculis, commu-
nicatio inter extravasatum humorem et viscus fete
omnis tollitur. Haec autem omnimodo conseruan-
da est, ut solida debite in fluidum extra vasa diffusum
agere possint, quo sanguis in minori copia extraua-
satus aut resorbeatur, aut saltem in pus laudabile con-
uersti queat. Neque incredibile est, thrombos a san-
guine coacto, vi adstringentis medicinae, adeo den-
tos nasci, ut deinde difficulter, et non sine metu re-
uertentis haemorrhagiae solui et educi queant. Hoc
vero in haemorrhagia pulmonum, si vel aliquas in-
duicias dederit, omni opera curandum, huncque in
finem potus subtepidus copiosus cum oxymelle, ni-
tro, sale ammoniaco, et infusum florum arnicae in
auxiliu partes vocare conuenit. — Magnopere igitur
reprehendendi sunt, qui corticem peruvianum
hic incautius exhibere solent; religiose enim ab eius
vsi cauendum est, quotiescumque diathermia inflam-
matoria lateat, aliaeque caussae in abdomen adsint,
quae exhibito hoc remedio, sanguinis congestiones
versus pulmones augere possint. Maxime autem hic
confidendum est vesicatoriis mature applicatis, quae,
si scopo, quem intenderamus, sategerint, setaceis aut
fonticulis locum faciant. Latente enim acrimonia
specifica v. c. scrophulosa, hac medendi ratione po-
tissimum praecauetur, ne illa acrimonia viscus ali-
quod, vi morbi debilitatum, occupet, inque eo serius
aut oxyus parulentam materiem gignat. Tandem
diaetae congruae aeger, per satis notabile temporis

B 2 spā-

spatium obtemperet, quae pro varia morbi natura
aut tenuis, aut roborans, aut inuoluens accurate
adornetur!

§. IV.

F e b r e s.

Praecipuae ac frequentissimae suppurationum
causae, febres sunt; sed non omnes eadem ratione.
Maxime igitur iuuerit, summa febrium genera cura-
tiori examini subicere. De febribus inflammato-
riis id in primis valere, nemo medicorum vnuquam
in dubium vocauit, quinimo plurimis persuasum fuit,
quamcunque suppurationem non nisi inflammatione
praegressa oriri posse. Recentiorum autem, inpri-
mis Cel. de HAENNE^{c)}, obseruationes, hoc temere
olim creditum axioma angustioribus limitibus cir-
cumscribunt. Sanguinis enim diathesis phlogistica
absque praegressa topica inflammatione, purulentam
excitat, quod in primis exemplo synocho simplici
defunctorum patet, quorum viscera fere omnia, ma-
teria quadam puriformi obducta, reperiuntur. Sae-
pius quidem haec diathesis phlogistica purulenta to-
picam suppurationem generat, cuius plura apud de
HAENIVM exstant exempla, pure scilicet ad singula-
res partes, vel externas, vel internas, delato. Huius
quoque loci est phlogosis lenta STOLL^{d)}, qua sup-
purationem saepius excitari verisimile est. Quod

^{c)} de HAEN rat. medend. Tom. II. cap. 2.

^{d)} STOLL Aphorism. de cognosc. et curand. febr. p. 58. et seq.

singulare, neque satis definiendum, sanguinis vitium plures certe in phthisin pulmonalem praecipites dedit, siquidem pulmones eorum, nullum ulceris vestigium medico inquirenti exhibuerunt. Verum et febres gastricae omnigenae, prouti magis minusue in putredinem vergunt e), aut vehementia sua sanguinem et humores pessimumdant, aut incongrua mendendi ratione aegrotantes diutius affecerunt, suppurationi in visceribus ansam praebent. Quodsi enim sordium euacuationem penitus negligimus, aut regimine nimis calido vim morbi augemus, dyscrasiam humorum, inflammations occultas et suppurationis genesis ipsi infelices arcessimus. A febre eiusmodi gastrico-putrida suppurationem in cerebro excitatam esse, Cel. PRINGLE f) memoriae prodidit. Interdum eiusmodi abscessus, annotante iam pridem HIPPOCRATE g), vrina turbida, purulenta, si mature satis appareat, remoueri videntur. Putrida exquisita, e sanguinis in dissolutionem pronitate oriunda, suppurationes quoque excitat. Facilior vero est transitus huius febris in gangraenam. Suppuratio saltem plerumque mali moris esse solet, nata quidem ab inflammatione erysipelacea. In hac cauto euacuantium usui subiungi debent antisепtica aptissima selectaque. Febrim nerueam suppurationi ansam praebere posse,

B 3

multi

e) SCHROEDER Diss. de febribus puritarum differentia, Götting. 1768.

f) Ueber die Krankheiten einer Armee, übersetzt von BRANDE, Ps. 355.

g) Aphorism. Sect. IV. n. 74. et in Prognost.

multi quidem in dubium forte vocauerint; cum a deiectionis in hac febre viribus vitalibus, hunc salutarem effectum vix sperare liceat. Experientia tamen docemur, in febre neruosa interdum pus circa glandulas, parotides, inguinales, aliasque colligi h), unde in febribus pestilentibus, tanta bubonum parotidum, que infamia nata est.

§. V.

Suppurationis, vi febris ortae, medela exponitur.

In omnibus hisce febribus, tum continentibus, tum remittentibus, suppuratione ut plurimum methodo medendi congrua praecepitur. In febribus inflammatoris neminem remedia fugiunt, quibus resolutio benigna fieri possit. Id autem in primis obseruandum est, methodum antiphlogistica viribus vitalibus strictim accommodandam esse, ne relaxatione incongrua, et nimia virium deiectione, natura ad suppurationem ciendam quasi cogatur, quam vix aeger effugerit, si in viscerum inflammatione hunc errorrem medicus errauerit. Vesicatoria, parti affectae satis mature applicata, hic summae utilitatis sunt, quibus e remediis internis, in humorum lentore vitaliumque languore addantur, remotis relaxantibus, medicamenta leniter irritantia tonica et volatilia. In febribus gastricis omnis rei cardo vertitur in resolutione atque evacuatione congrua sordium, ventricu-

lum

DR PRINGLE l.c. et BURSER, de KANILEFELD Insit. medic. pract. Vol. I. §. 302. et seq.

—

fum et canalem intestinorum obſidentium; ideoque
recta medendi methodus, morbo ab ipsis eius initis
allata, certam aegro ſalutem promittit. Quo magis
conueniens medela in primis morbi diebus fuerit, eo
minus ab harum febrium metaschematismo in putre-
dinem, inflammationem occultam, et metaftafes pa-
rulentas metuendum eſt. Quodſi vero foluentis et
euacuantis medicinae prudens uſus neglijitur, aut
peruvianus cortex ad febrim abigendam premaſture
et inconsulto datur, praeter alia detrimenta, obſtru-
tiones et infarctus viscerum, atque vaſorum lym-
phaticorum oppilations quam facillime oriuntur,
quae denique ſuppurationem in pulmonibus, tan-
quam morbum ſecundarium, ſaepiſſime excitant. Hac
peruerſa methodo, premaſture ſcilicet exhibito cor-
tice peruvianio, febris biliola remittens ſuppreſſa fuit
in Libero Barone de HOLLAND, qui nominis ſui me-
moriā posteris commendauit refutatione ingeniosa
et facunda famosi libri „Système de la Nature“. Hinc
factum eſt, vt febrem gaſtricam male ſuppreſſam
hectica exciperet, a qua non niſi admodum diſſi-
culter cura Praeceptoris noſtri celeberr. Prof. BERENDS
vindicari potuit. Cum vero vix recuperata ſanitate
Ruſſiam peteret, ſub frido Ioue, ſuppuratione pul-
monum conſirmata, fatis ceſſit. Non vero nullum
in huiusmodi febribus gaſtricis, praeferti pituitofis,
roborantium et corticis peruvianiani uſum eſſe pronun-
tiamus, ſed haec remedia potius cum leniter calefa-
cientibus et temperatis irritantibus reſoluentibusque
v. c. Serpentaria Virginiana, flor. Arnicae, Valeria-

na, etc. coniungenda esse existimamus. Ast tum solummodo haec sine noxa et utiliter exhiberi possunt, si materia gastrica, in primis pituitosa, ad secundas vias transierit, cui coquendae et eliminandae vires actiuae impares sunt. Alioquin ex horum remediorum usu neglecto, aequa, ac ab iisdem incaute et premature exhibitis, facile suppuration in visceribus excitari potest. Tumores externi phlegmonoideo-purulent, in primis vero parotides, in febribus nervosis plerumque mortem praenunciarunt. Methodo quidem antiphlogistica resolutio horum tumorum a nonnullis est tentata, verumtamen ex morbi natura patet, nos, hanc methodum adhibendo, quam rarissime felici gauisuros esse euentu, etsi quaedam eiusmodi historiae a BVR SERIO DE KANILEFELD memoriae proditae sint i). Parotidum tumentium resolutio tum modo absque praesentissimo vitae periculo tentari poterit, si mere symptomaticae fuerint. Quod si autem a materia morbosa metastaticae ad parotides delata eadem intumuerint, periculum summum est, ne, resolutione tentata, ob cerebri vicinitatem materia illuc deferatur, unde ex improviso apoplexia nervosa aegrum e medio tollet. — In symptomaticis vero huiuscemodi colli tumoribus, qui amplitudine sua facile aegrotos suffocatione perimunt, nobis maxime illa placet medendi methodus, quam laudante M. AVRELIO SEVERINO k), medico longe praestantissimo, maiores nostri adhibuerunt. Hanc di-

i) *Instit. medic. pract.* Vol. I. §. 308.

k) *de recondita abscessum natura*, lib. I. cap. 31. p. 36.

fertis immortalis viri verbis huc transscribere liceat:
 „ego quid in huiusmodi aegrotis, quibus per febres
 „malignas parotides oriuntur, facere soleam, dicere
 „hoc loco non grauabor, quandoquidem censeo
 „multos esse seruatos, qui alioquin interiissent. Mox,
 „ac oriri incipiunt, partem laxante oleo foueo, ut
 „chamomaelino: atque si exire cunctentur, loco ipsi
 „cucurbitam affigo, ne abscessus sit minor, quam
 „ut possit conferre; ubi autem satis manifestus iam
 „factus sit, si breui increcat plurimum, rursus mitto
 „sanguinem, ne sit maior, quam possit sustinere: mox
 „vero durum adhuc tumorem, neque illa suppura-
 „tione exspectata, ignito ferro aperio, altera quidem
 „in parte, si alteram solum obsederit tumor, in
 „utraque vero, si utramque; et cataplasma suppurans
 „appono. Plerumque res cedit bene: nam breui
 „computrescente post inustam escharam tumore,
 „manare pus incipit, et per id orificium caput, et
 „reliqua viscera perpurgantur.“

§. VI.

*Metastases malae arcendae, bonae adiuuandae et
 promouendae.*

In omnibus hisce febribus epispastica et ves-
 catoria, pro varia morbi indole oxyus vel serius ap-
 plicanda, quibus nonnunquam largior suppuratio per
 notabile temporis spatium excitetur, ad auertendas
 metastases malas, quam plurimum valent. Hoc prae-
 sidium

C

sidium quidem vices aliarum excretionum gerit; ad
 quas tamen omnes, in primis vero lotii et sudoris,
 easque, quarum corpus aegroti diu consuetudinem
 traxit, nec non ad tumores externos suppuratorios,
 in acutis morbis obuios, medico sedula opera respi-
 ciendum esse, quilibet fatebitur vel mediocriter ar-
 tem salutarem edoctus. Tumores externi inflamma-
 torii, qui aut critici existimandi sunt, aut saltē crisis
 speciem prae se ferunt, haud sine graui periculo di-
 scutiuntur, multoque securius in pus mouentur. Hoc
 sibi datum esse existimauit Ill. Prof. BERENDS in fe-
 bre scarlatina inflammatorio biliosa, aliquot abhinc
 annis in his regionibus epidemica, in qua plurimi
 aegroti eiusmodi tumoribus inflammatoris glandula-
 rum colli infestabantur. Quoties enim hi tumores
 methodo antiphlogisticae et antibiliosae non obseque-
 rentur, ad suppurationem eos duxit, eo cum euentu,
 ut nullus aegrotantium diem supremum obiret. Alii
 medici, resolutionem vnicce tentantes, pari felicitate
 haud gauisi sunt, nisi naturae molimine, per longum
 temporis spatium humor puriformis ex auribus ma-
 naret. Dantur et metastases purulenta e consensu
 oriundae. Sic vulnera capitis grauiora saepe vlcus
 hepatis excipit, et vitia hepatis interdum abscessu in
 suris exerto manifestantur. Huiusmodi suppurationes
 vt plurimum non nisi congrua medendi metho-
 do, sub primariai morbi initium adhibita, arceri
 poterunt.

§. VII.

§. VII.

Suppurationes e diathesi purulenta oriundae.

Suppurationem absque praevia inflammatione oriri posse, in §. IV. pluribus dictum est. Etenim sicuti diathesis phlogistica datur absque topica inflammatione, ita et in nonnullis diathesis purulenta obseruatur, absque vlla inflammatione praegressa. Huius rei veritas obseruationibus de HAENII, SCHROEDERI l) et BOEHMERI m) extra omnem dubitationis aleam posita est, atque attentis medicis haud raro eiusmodi exempla obuersantur. Namque verissimum est, hoc ex somite morboso singulari phthisis pulmonalem saepe origines ducere, contextu pulmonum penitus illibato. Occurrunt quoque haud tanti discriminis exempla, quibus haec purulenta diathesis sine omni solidorum vitio confirmatur. Huc merito referantur ulcera, in hominibus caeteroquin sanis, sponte oriunda, nec non epiphora purulenta, atque humoris purulenti in nonnullis e naribus stillicidium. Singularis obseratio, quam nobiscum communicauit Ill. Prof. BERENDS hanc rem in primis illustrare videtur: Aestate anni praeteriti per notabile tempus feminae curam gessit, ex polycholia et plethora abdominali admodum male se habentis. Vires dige-

C 2

stio-

l) SCHROEDER Diss. de puris absque praegressa inflammatione genesis, Goetting. 1766; quam sibi vindicavit Ill. MURRAY, in cuius Opusculis, Vol. I. p. 143. recusa legitur.

m) PHIL. ADOLPH BOEHMER de genesis menses purulentes absque praevia inflammatione, Halae 1768.

stionis penitus pessumdatae erant, vnde continuo sapor amarus, aeruginosus, nausea, vomitus, spasmus ventriculi et intestinorum, frequentesque insultus febriles eam vexabant. Eiusmodi paroxysmus febrilis, grauitate symptomatum alios excedens, miliaria proferebat, materia purulenta luculenter scatentia. Et iam si vero haec miliaria sensim exsiccarentur, nihilominus vniuersam corporis superficiem tenuit pruritus, ut per plures noctes aegra somno penitus careret. Tandem natura medelam absoluit, exanthema, a scabie vix discernendum, purulentum ad brachia et pedes prouocando, quod per quosdam menses extremitates occupauit, donec sub diuturno medicinae resoluentis et euacuantis vsu lente evanesceret. Sollet vero his in casibus non verum coctumque pus, sed tenuior puriformis humor excerni. Nulla quidem adhucdum medicina reperta est, quae diathesin purulentam spontaneam specifica vi extinguat; verum tamen ex parte malo huic medentur medici, si aegri mature satis auxilium sibi exposcent, antequam malorum symptomatum turba accesserit. Huiusmodi enim casus fuisse videntur, in quibus succus expressus recens cucumerum et dauci carottae, serum lactis acidulatum, diaeta vegetabilis, fructus horaei cuiuscunque generis, prosperrimo euentu non caruisse visa sunt. Memoriae mandauit Ill. PRINGLE, se sanguinem exigua in quantitate, sed iterato, cum maximo aegrotantium solatio misisse. Auctoritate tanti viri confidentes, tum modo sanguinem in hoc morbo absque detimento detrahi posse censemus, si diather-

Sed ex illis qualiterque sint causae.

sis purulenta cum phlogistica coiuncta fuerit. Sed quanto semper in discrimine eiusmodi aegri versentur, quantisque difficultatibus ipsa cura palliativa mali atrocis prematur, neminem certe fugerit. Dum similes morbi Cel. Professori BERENDS obuersarentur, consideratis aegri viribus, malique natura, quantum fieri potuit, perspecta, aliquoties venaesectio-nes exiguae institui iussit, nequaquam tamen aegros inde subleuatos fuisse, mihi retulit. Securius forte auxilium habetur in ulceribus artificialibus, cortice daphnes wezere^t excitatis, quibus, a magna certe humoris purulenti copia, sanguis quotidie liberatur.

§. VIII.

Pituitae decubitus ad viscera, suppurationis eorumdem causa.

Haud minus frequentem, ac diathesis purulenta, suppurationi occasionem praebent mucus glandulosus, materiaque transpirationis suppressa, si diu visceribus incommodant. Huiusmodi pituitae coacerbationis, frequentissima in pulmonibus occurunt exempla, eaque ex causa phthisin pituitosam adeo saepe in purulentam abire videmus. Nec vero haec afferentibus, veritatem a Cel. equite MVRAY n^o) exquisitissimis observationibus illustratam, inficiari animus est, phthisin nempe pituitosam saepius absque praegressa suppuratione aegros e medio tollere. Quae pituitae noxa, quum in pulmonibus longe effi-

C 3

cacissi-

n^o) Ei, *Opuscula de phthisi pituitosa*, §. 4. et seq.

cacissimā apprehendatur, non tamen nulla in aliis visceribus existimari debet; multifariis enim observationibus docemur, mucum vesicam vrinariam diu obſidentem, interdum suppurationem ſive ſcabiem afferre. Remedia in §. praecedenti laudata, etiam hic voto respondent; ideoque veficatoria thoraci mature applicata ſaepe ad phthisin arcendam plurimum valent, inprimis ſi sub initium febris catarrhalis ſpeciem p̄ae ſe tulerit morbus. In adminiſtranda resoluente et expectorante medicina, magna prudētia opus eſt, ne id intemperie et nimis liberaliter fiat, cum bechicorum vſu auctiores versus pulmones relaxatos congeſtiones procreentur. Quinimo remediis longe contrariae indolis potius confidendum eſt, etenim roborantibus et amaris v. c. cortice peruviano, lichene islandico et polygala amara hoc malum plerumque, vel maxime ſubleuatum eſſe, compertum habemus. Quo maior hic nobis fides fit, inter veteres ad MORTONYM, e recentioribus ſcriptoribus autem ad Cel. MVRRAY ET STOLLIVM prouocamus, qui hanc medendi methodum, rationi congruam, experientia ſua confirmarunt.

§. IX.

Obſtructiones viscerum abdominalium et infarctus ſystematis venae portarum, ſuppurationis internae cauſae.

Quemadmodum materiae mucosae et pituitofae coaceruatio et degeneratio, a debilitate virium
dig-

digestionis et assimilationis oriunda, ac cum statu
 hypochondriaco plerumque coniuncta, suppurationi
 generandae omnino apta est, ita quoque obstructio-
 nes viscerum abdominalium, et in primis infarctus
 systematis venae portarum, genesi materiae purulen-
 tiae in visceribus et pulmonibus praecipue opitulan-
 tur. Quae hic, per notabile tempus, copiosa tussi
 eliminantur, potius humoris puriformis, quam puris
 genuini nomine designanda sunt. Quod si autem in
 tollendo hoc morbi statu, segniorem sese praebuerit
 medicus, malicie naturam minus perspectam habue-
 rit, morbo tum in tabem, tum in phthisin purulenta-
 tam transitus facile conceditur. Haud paucos hoc
 morbo laborantes, etiam si iam secundam periodum
 subierint, vis vitalis defectu designatam, vsu maxi-
 me liberali lucci radicum graminis et taraxaci, re-
 center expressi et leniter inspissati, a Cel. Prof. BE-
 RENDS in integrum restitutos esse scio. Sub morbi
 finem lichen islandicus aliquamdiu exhibitus, omnes
 sanitati illibatae reddidit. Alia adhuc, hoc argu-
 mentum illustrans historia, ab aestumatissimo Prae-
 ceptore nobiscum communicata est: Femina nem-
 pe, non ultimae sortis, saepe ingenti abscessu de-
 cumbere cogebatur, qui inter musculos abdominales
 et integumenta communia sedem et incertos fines
 habuit. Is plerumque in inguine, versus labium
 vulvae exitum molitus est, atque incredibiliter puris
 foetidissimi copiam fudit. Varia ipsi praeparata mer-
 curialia propinata erant, syphilitici enim hic quid
 subesse, suspicabantur medici, abscessus autem nihili
 lomi-

1070

Iominus quōtannis rediit. Attente hoc malum secum reputans Cel. Prof. BERENDS in eam venit opinionem, vanam hic esse suspicionem virus veneri, potius diathesin purulentam latere, e stagnatione sanguinis in systemate venae portarum, digestione laesa, et debilitate yniuersali exortam. Maximam igitur huic aegrae succorum herbarum recenter expressarum copiam exhibuit, subiuncto tandem vsu aquae Pyrmontanae. Inde perfecte aegra conualuit, ut color faciei floridus rediret, et abscessus, iam aliquot abhinc annis, nullum sui ederet documentum vestigiumque.

§. X.

Suppuratio a variolis.

Quos variolarum exanthema corripit, pustularum suppurationem subeant, necesse est. Frustranei enim fuerunt conatus summorum virorum, ipsiusque BOERHAAVII, circa inueniendam eiusmodi variolis medendi methodum, qua papulae citra suppurationem extinguerentur. Id vero neque omnino fieri posse, neque si vel maxime fieri possit, salutem aegris promittere, admodum credibile est, quum pessima quaevis symptomata a retropulsis retentisque variolis obseruantur. Si vero forte qui fuerint, qui inde internas variolas metuant, inflammatione et suppuratione, intestinis visceribusque graues futuras, hos scire volumus, nos, etsi obstanta immortalis STOLLII auctoritate, cum illis sentire non posse.

Potior

Potior nobis omnino videtur sententia III. COTVNNU in doctissimo libello o), internas variolarum sedes pernegantis. In qua re confirmamur experientia aestumatissimi Praeceptoris nostri BERENDS, cui aliquores facultatem datam fuisse nouimus, infandum cadauera dissecandi, in variolis e medio sublatorum. Maculas inflammatorias in ventriculo et intestinis deprehendit, quas alii forsan, ex praeconcepta opinione, efflorescentias internas fuisse iudicassent. Minime autem pustularum indolem exaequabant, quod epithelium non solutum, et a subiecta tunica penitus separatum erat, quod omnino obseruari debuisset, sicuti in pustulis externis, epidermidem magis minusue a subiecta cute recessisse videamus. De discrimine, in quo variolis plurimis a malignis decumbentes versantur, pluribus differere, a re nostra alienum est; certe multifariis obseruacionibus constat, metastases pessimas, a pure variolarum, ad cerebrum, nervos et viscera, haud raro fieri. Huius funesti euentus periculum maximum est in febre secundaria (quam tertiam proprie dixeris) quum nempe pus iamiam formatum a systemate vasorum lymphaticorum resorbetur. Ideoque omnis rei cardo in prudenti huius febris moderamine ponitur, ut has metastases oxyus seriusue internecinas arceamus. In primis autem scitu dignum est, febris secundariae

et in varioloso manu mortaliter do morbo si vehē

o) de sedibus variolarum Syntagma, Viennae 1771.

D

vehementiam, a regimine febris primariae plurimum pendere. Hac enim debite moderata, haud raro omnia febris secundariae symptomata praecauentur. Respiciendum igitur maxime est, ad epidemiae genium, et singularem primae febris naturam, in genere vero longe praestantissimi vsus sunt camphora, minoribus praebiis subinde data, cortex peruvianus, et vesicatoria mature satis applicata. Si vero, propter insignem debilitatem et spasmos interiora occupantes, pustulae minus repleantur, pus nimis tenue et acre deprehendatur, pruritumque intolerabilem excitet, laudata remedia, quamvis efficacissima, spem tamen fallere obseruantur. In summo hocce discrimine, magni facimus opii virtutem, a SYDENHAMO iam pridem in hoc morbo tanto-pere celebratam, et quam nuper egregius HVFELAND p) meritis laudibus extulit. Multi quidem recentiorum, auctoritate TISSOTTI ET TRALLESI maxime nitentes, ab opii vsu prorsus abstinuerunt; sed horum celeberrimorum virorum opinioni tum modo subscribendum esse credimus, si de variolis inflammatoriis sermo fuerit. Magnopere praeterea iuuat ROSENSTEINII consilio obsequi, et escharas variolarum crassiores, lacte tepido emollitas, auferre, quo transpiratio adeo suppressa denuo resuscitetur, purique sub escharis stagnanti exitus concedatur. Quod si autem ob summam mali atrocitatem, sup-

p) CHR. WILH. HVFELANDS Bemerkungen ueber die natuerlichen und kuenstlichen Blauren zu Weimar im Jahr 1788. Leipzig.

puratio viscerum, in primis pulmonum, variolas excepterit, tum procul dubio vlcera externa, arte excitata, vel maxime conferent, dum simul lacticiniis aegri vescuntur. In illo tamen longe maxima medici cura collocetur, necesse est, ut febris comitantis aut epidemice grassantis naturam exquisite perspectam habeat.

§. XI.

Suppuratio a morbillis.

Exanthema morbillosum, nisi congrua mendendi methodus curiose adhibeat, haud raro suppurationem in pulmonibus gignit. Morbi perniciose incidentis natura, in erysipelate pulmonum pondeda esse videtur; cumque hunc genium morbus ostenderit, semper fere febris inflammatorio-biliofa eum comitatur. Quod si proinde morbillis, secundum huiusmodi febris naturam, medicinam facimus, plurimi certe superstites erunt, neque ad suppurationem pulmonum facile peruenient. Itaque remedia leniter euacuantia exhibeantur, regimen non quidem vehementer, sed tamen temperate calidum sit; reconualescentes per notabile tempus ab aëris refrigerio caute arceantur; denique morbo iam debellato, lenia euacuantia per alum, transpirationis cohibitae vices gerant. Haec quidem in pulmonibus illibatis valent; cum vero in iisdem pus ab exanthemate morbilloso genitum fuerit,

periculum quidem recte instituitur cum lactis; serie
que illius, nec non ulcerum artificialium usu; ma-
gnopere tamen dubitandum est, fore, ut perfecte
horum remediorum beneficio cum sanitate in gra-
tiam redeant, qui hac phthisis pulmonalis specie
conflictantur. Solet enim ea admodum acuta esse,
vnde a nonnullis, nouorum verborum amantibus,
excogitata denominatio: (*die galoppirende Schwind-
sucht*) de hac phthisi morbilosa maxime valet.

§. XII.

Suppuratio a Syphilide.

Saepius quidem contagia exanthematica acu-
ta, suppuratione viscera infestant; exstant tamen
obseruationes, quibus doceatur, a contagio magis
chronico virus venerei, pus quoque generari. Ma-
lam autem plerumque in partibus externis et ossibus
procreat suppurationem cariisque. Verum tamen
et illos, qui visceris alicuius debilitate singulari labo-
rant, pus in illo viscere, maxime in pulmonibus, fa-
cile concipere, cum aliis pluribus obseruauit Cel.
Prof. BERENDS, eoque praesentius huius rei peri-
culum est, si ad syphilidem morbus scrophulosus ac-
cesserit. In debellando hoc atrocissimo morbo, po-
tus copiosi emollientis, cum lacte coniuncti, praecipiuus usus est; cumque a medicina validiori aux-
ptyalismo nimiam virium iacturam passi sint aegri,
corticem peruvianum iusdem exhibere nullus dubi-
taue-

tauerim. Specifica medicina, horum adiuuantium
vsi destituta, vix quidquam proderit, ac in genere
multa prudentia in eadem exhibenda opus est. Plu-
rimi in hac phthisi venerea, mercurium mitem, nulla
arte valde alteratum, magis, quam salia mercurialia,
conferre perhibent; idque foisan de frictionibus
cum vnguento mercuriali valet. Sed his frictioni-
bus, balnea tepida, ad praecauendum ptyalismum
interponenda sunt, quicrum frequentem vsum ho-
rum aegrotorum conditio raro admittit; partim
enim febris caussa, partim propter magnam debili-
tatem aliena sunt. Maxime quoque nocuum existi-
mauerim Mercurii crudi, v. c. solutionis PLENCKII:
vsum internum, siquidem ptyalismum excitando
nouam debilitatis caussam affert, nec non mole Mer-
curii ponderosi, ad pulmones laefos et debilitatos
delata, eosdem vehementer laedi admodum credi-
bile est. Multo minus timendum est ab exigua dosi
praeparati mercurialis salini, subiuncto lacte vbi-
riori, cum diaeta mucilaginosa, inuolente. Mul-
tifariis enim obseruationibus constat, salia mercu-
rialia tum saluberrimos edidisse effectus, si cum ve-
nero virus scrophulosum fuerit coniunctum. Eius-
modi aegris, Cel. Prof. BERENDS, HOFFMANNI q)
exemplum secutus, non dubitauit Mercurium subli-
matum exhibere, sed longe minori in copia, quam
ausus est ille medicus, ingenio et arte insignis. Ne-
que vñquam nostrum Praeceptorem huius consilii
poeni-

q) CHAVET de phthisi pulmonali laeredaria, §. 153.

poenituit, quo desperatos aegrotantes, Libilitinae erexitos, cum maxima animi voluptate saepe vidit. Egregiam praeterea medicinam Ill. KABMPPIVS his aegrotis offerre videtur, lac nempe caprae, Mercurio inungendae. Operae pretium omnino foret, ut plura cum hoc latte mercuriali pericula periti medici facerent.

§. XIII.

Suppuratio a viru scrophuloſo.

Virus scrophulosum, efficacitatem aliquam noctum, quoque suppurationem partium internarum, in primis pulmonum et mesenterii, excitat. Maxima vero singularis huius acrimoniae tollendae est difficultas; cum enim eiusdem indoles penitus nos fugit, neque obseruationes, de eadem existantes, perfectae et absolutae esse videntur^{r)}; methodus specialis, suppurationi scrophulosaे internae riedendi, hucusque prorsus latet. Itaque therapiæ generalis präcepta presso pede sequatur medicus, sedulamque operam nauet inueniendis tollendisque caußis remotis. Inter has potissimum recenseri merentur; 1) Sordes pituitosae, aliaeque primarum viarum, quae vtramque coctionem vitiando, et solidum:

^{r)} Dum haec scribimus, nondum ad manus nostras peruenit: Ill. KORTVM de morbo scrophuloſo liber, qui cum in Göttinger gelchzen Anzeigen, tum in allgem. Lit. Zeitung, multis encomiis celebratur.

lidum viuum debilitando, nidum quasi construant, et primas fere origines praebent acrimoniae scrophulosa. Methodum medendi pluribus exponere, superuacaneum ducimus, cum neminem fugit, eam rhabarbarinis, terra foliata tartari, amaris, lenibusque praeparatis martialibus, exquisite absolui posse.

2) Ulcera externa scrophulosa, praemature sanata, quo fit, ut exitu materiae morbosae denegato, eadem nobiliores partes petat. Danda igitur sedulo opera est, ut ulceribus artificialibus, cortice Mezerei inprimis excitatis, diuque apertis seruandis, acrimonia ad exteriora reuocetur. Nobiscum sentit Celleberr. FABRE s).

3) Soluentis et resoluentis medicinae usus incongruus et nimis diu protractus. Ingeniosissimus enim FABRE, resoluentia sola, mendis scrophulis inueteratis, impares esse deprehendit. Quo accedit Cel. Prof. BERENDS, experientia multiplici edocti testimonium, cum auditibus comit unicatum, resoluentia ob relaxationem et debilitatem, quam inferunt, ad hunc morbum tam parum apta esse, ut potius nonnulla horum remedium, quibus praecipue confidere solent medici, v. c. Cicuta, Praeceptoris aestumatiſſimo suppurationem excitasse visa sint. Etenim si FABRE et BOURDEU, viri clarissimi, vti nobis saltem videtur, recte existimant, naturam lento gradu, et circa annos

s) ANTON FABRE Untersuchungen ueber verschiedene Gegenstaende der theoretischen und praktischen Arzneywissenschaft, aus dem Franz. v. D. Ernst Platner, Leipzig 1788. p. 169—202.

mos pubertatis potissimum, hanc acrimoniam elinare; ab omnibus hisce resoluentibus timendum est, ut perquam intempestive materiem morbosam moueant, quae propter viscerum virium que in illa iuniori aetate imbecillitatem, e corpore proscribi non possit; ideoque neruos spasmis et doloribus variis generis, atque viscera obstructione, infarctu et suppuratione vexet. 4) Complicatio acrimoniae scrophulosa cum viru venereo. Hancque saepius obseruare licet, si serpigines externam corporis superficiem foedant. Hic quoque e remediis mercurialibus subtilioribus, mercurius sublimatus corrosivus, a nobis in §. praecedente laudatus vel maxime confert. Minime autem in hac complicatione, praesertim in serpagine, cortex Mezerei et vesicatoria temperata sunt omittenda.

§. XIV.

Acrimonia scorbutica rarior suppurationis internae causa.

Denique non prorsus silentio transire conuenit acrimoniam scorbuticam: quae, si genuina et idiopathica sit, easque vires acquisiuerit, ut suppurationem in pulmonibus excitet, frustra certe in auxiliis partes vocaueris remedia antiscorbutica, aliaque quaelibet. Si autem de illo scorbuto sermo est, quem ob singularem originem, gastricum et atrabilarium appellare liceat, remediorum resoluentium, attenuantium, et leniter euacuantium, omnino maximus et

et saluberrimus usus erit. Huiusmodi quoque morbus fuit, in quo Cel. Prof. BERENDS, ab usu vel maxime liberali succorum inspissatorum taraxaci, fumariae, trifoli fibrini, cochleariae etc. interpositis leniter aluum ducentibus et subiunctis amaris, roborantibus atque tonicis, incipientem in pulmonibus suppurationem feliciter cohicitam, laetanti animo vidit.

EMENDANDA.

- Pag. 12. lin. 21. *phlogistica purulenta lege phlogistica co-purulenta.*
 21. lin. 11. *mezerei lege mezerei.*
 ead. — 20. *coacerbationis lege coaceruationis.*
 24. lin. 3. *veneri lege venerei.*
 24. lin. 27. *obstanta lege obstante.*
-

VIRO CLARISSIMO ET ERUDITISSIMO
IOANN. DAN. KVNTZE
 SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM CANDIDATO
 PRORSVS EGREGIO

S. P. D.

CAROL. AVGUSTVS GVILIELMVS BERENDS
 PHILOS. ET MEDIC. DOCT. MEDIC. CLINICAE P. P. O.
 CIVITATIS FRANCOFVRTENSIS ET CIRCVLI LEBVSTENSIS
 PHYSICVS REGIVS, NOSOCOMII CIVICI THILE-
 NIANI MEDICVS ORDINARIVS.

Neque ego Te issaudatum e cathedra descendere patiar, Vir prae-
 stantissime! qui, quem per plures annos operam mihi adeo dederis,

ut longe diutius in hac Vniuersitate literaria, ac Tibi antea statutum esset, commoratus, ne fere solum audires; vel ideo non sine publico meo encomio ad patris lares dimittendus esse videris. Accedit amicitias, quae nos ingerecessit ratio; siquidem me non solum familiariter vsus es, verum etiam in laboribus clinicis Te mibi saepius socium praebeuisti et doctum et sollertem. Etenim vere et ex animi mei sententia profiteor, Te, qui felici ingenio natus es, hocque literarum humaniorum studio mirifice ornasti, omnem lapidem mouisse, ut ad solidam maximeque liberalem perennire rei medicae cognitionem. Nempe in verba magistri jurare, a me non doctus, nocturnam diurnaque operam collocasti in versandis legendisque scriptoribus optimis, cum veteribus, tum ex recentioribus illis, qui ingenii, pertiae et veritatis laude cum priscis hominibus comparari merentur. Hinc etiam in Te factum esse, quod in Tua aetate raro fieri solet, partim ad aegrotorum lectulos, partim in lectionibus publicis clinicis, haud sine maxima animi voluptate subinde cognoui: ut iam Tuus ingenue vti et confidere possis iudicio. Cuius rei inprimit fidei facit haec dissertatio a Te docte, perite et Duo Marte conscripta, in qua mean quidem doctrinam interpretatus es, sed ita, ut Tuam ait ea Te plane fecisse, luculenter ostenderes. Minus igitur Tibi de nouis honoribus gratulor, quam mihi de doctissimo discipulo, quem medica arte non solum eruditissime, verum etiam amicum, nominis mei, quantumcunque demum illud sit, longe studiosissimum, mibi comparasse, in magnam certe felicitatis meae partem repono. Utinam virus alterque commilitonum nostrorum, magnum illud desiderium, nisi eleuaret, saltem obliniret et demuleret, quod Tu Vir doctissime! abitu Tuus diuissime apud me relinques. Eum vero esse, abunde novi, natuum animi Tui candorem, gratissimumque erga me sensum, qui nunquam non memorem se praetiturus sit, in praetextum Tui amantissimum Tuaeque felicitatis cupidissimum. Vale igitur Vir amicissime! et gere Te medicum vera Hippocraticum, id est, verecundum, pecuniae contentorem, modestum, ingenio foecundum, iudicio grauem, opera egensis lubenter praestanda pius, et ab omni superstitione alienissimum. Dab. e museo. Traiect. ad Viadrum d. IV^o,
Julii CIC CICXXCI.


v

01 A 6631


ULB Halle
004 931 246

3





B.I.G.



DE
SVPPVRATIONE A VISCERI-
BVS ARCENDA ET COHIBENDA

19

CONSENTIENTE ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE

AD DEMERENDOS

DOCTORIS MEDICI HONORES

D. VI. IVLII CICDCCCLXXXI.

PVLICE DISSERET

JOHANNES DANIEL KVNTZE
LESNA - POLONY_S



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO,

